



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

5. Qualia debent esse spiritualia exercitia, & de eorum moderamine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

cordis puritas: vt in collationibus Patrum: & in tractatu, Beatus vir scribitur.

QUALIA DEBENT ESSE EXERCITIA spiritualia: & de eorum moderate.

C A P V T V.

Non expedit frater vt leuiter eligas qualicumque exercitia: quin potius debes ea eligere & formare secundum Sanctorum patrum exempla: iuxta illud quod scriptum est: Omnia fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte. Obseruabant autem sancti Patres in suis spiritualibus exercitijs certas condiciones: quas & tu in tuis obseruare debes.

PRIMA est, vt diuinis scripturis & sanctorum dictis, & patrum exemplis consonent; nam quicquid sacrae scripturae dissonum est, non immerito licet videatur bonum, suspectum est. Et quia sunt multi qui ad suum sensum scripturarum intellectum extorquent, ideo oportet tua exercitia cum aliquo spirituali & illuminato viro tractes: & super his eius consilium accipias.

SECUNDA conditio est diligenter attendere, vt exercitia sint moderata, maxime quantum ad duo secundum Sanctorum doctrinam. Primum est, ne nimiam afflictionem, neque immoderatam occupationem in eis sumas. Nam propter afflictionis nimietatem mentis dulcedo in amaritudinem vertitur: & propter immoderatam occupationem mentis tranquillitas destruitur. Vnde sic oportet exercitia moderari.

vt omnia cum quadam mentis alternatione & moderatione agantur : secundum illud ; Modo lege, modo ora, modo cum feruore labora, & sic hora breuis, & labor erit leuis. Nec te circa ea ita occupes quod tibi fastidium generent, aut causent infirmitatem : alioquin non possent multum durare.

TERTIA conditio est, vt exercitia sic sint disposita & ordinata : quod congruant vnicuique secundum suum statum & dispositionem tam interiorem quam exteriorem. non enim omnia omnibus conueniunt : neque omnes circa eandem rem æqualiter se habere possunt : quin potius talia exercitia vnusquisque debet sibi eligere : quæ contra suas vitiosas inclinationes decertent : & ad virtutis amorem trahant & promoueant & per talia exercitia magis poterit proficere : nam secundum Ambrosium, quærendum quidem in omni actu quid personis conueniat, quid temporibus & ætatibus : quid etiam singulorum ingenijs sit accommodatum.

QUARTA conditio est, vt summè caueatur ne sint temporalia, videlicet quod ad tempus permaneant, & ad tempus negligantur : sed sint stabilia, hoc est, vsque in finem permanentia. Valdè nanque ait Bernardus, est suspecta leuitas eorum, qui nunc hoc volunt, nunc illud : nunc sic se exercent, nunc sic, in nullo fixi. qui tot de se consilia præsumunt, quot loca reuisunt ; semper quod non habent cupientes & quod habent fastidientes, & in neutro proficientes. Qui vult in suis exercitijs proficere, oportet statuere

statere aliquem finem, & ad eius adeptionem sua media quæ sunt spiritualia exercitia, ordinare: & in illis fixus permanere. Finis autem nostrorum exercitiorum vt ait Abbas Moyses in quadam sua collatione: & tractatus Beatus vir, est adipisci cordis puritatem & perfectam Dei charitatem. Quorū vnū scilicet Deum perfecta dilectio vel beatitudo est finis vltimus alterum quod est finis secundarius & dispositiuus est cordis munditia quæ disponit nos ad perfectam charitatis & beatitudinis adeptionem & ad hos duos fines animæ oculus semper dirigendus instar sagittariorum, qui aliquando ponere signum consueuerunt, in quod sagittas suas iaciant, alioquin multo consumpti laborum modicum proficeremus.

DE HIS QUAE AD SPIRITUALIA
exercitia nos excitant.

CAPVT VI.

A Postolus Paulus exhortatur nos diligentia solitudine non pigri, spiritu feruente domino seruietes. Sollicitè igitur consideranda sunt feruoris incitamenta, quia secundum Sanctorum doctrinam, initium totius boni eiusdem boni feruens desiderium: nunquam enim in religione feruens erit, qui ante feruendi desiderium non habuerit. Nam secundum Bernardum, necesse est vt ignis desiderij præcedat omnem locum quo est ipse venturus. Et vt ignis iste desiderij in nobis excitetur, sexdecim considerationes hinc assignabimus, quas summo